



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

De expreßa politicæ potestatis institutione.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

verissimo dicto confirmata est potestas Ecclesiastica: Qui vos spernit, me spernit, Quo dicto non additur eis potestas extra Euangelium, sed tantum ita præcipitur obedientia, cum sonant vocem Euangelij.

De expressa politica potestatis institutione.

Nervus potestatis politica præcipuus & summus est, supplicium capitale, quia & mors tãdem audaciam compefcit, & alij metu mortis præcipuè coercentur. Hæc etsi vera sunt, & ratio legem natura intelligens, videt æqualitatem esse, cum vita eripitur homicida, tãmen homo modestus non auderet interficere hominem, etiam sortem, si non sciret, se cogi mandato diuino. Querendum est igitur mandatum, quod talis potestas vel auctoritas expresse à Deo, vel instituta vel confirmata est.

Non dubium est autem, expressam esse institutionem huius potestatis in mandato, quod Non traditum est Gen. 9. Quicumq; fuderit humanum sanguinem per hominem fundetur sanguis ipsius, quia ad imaginem Dei factus est homo. Vbi in interpretatione Latina deest particula, per hominem, quæ extat in fontibus, & nequaquam omit-
tenda est, quia hoc ipsum vult textus, tribui autem

uitatem homini, scilicet ordinato ad gubernationem, vt homicidam vicissim interficiat.

Est autem, vt dixi, pœna capitalis summus status politica gubernationis, & complectitur ceteros gradus pœnarum et causarum, Ita statim post diluuium expressa voce Dei, instituta & sancta est politica gubernatio, Deinde quam lex Moyse vni populo lata est, tamen voluntatem Dei ostendit. Hæc autem expressè ordinat magistratus & pœnas, vt Exod. 22. Principi populi tui non maledices. Deut. 5. Constituantur potestates, iudicia & pœnæ, & seuerissima vox additur; Nō miserearis eius, sed auferas malum de medio tui, vt audientes cæteri timeant.

Cum autem ibi expresserit Deus suam sententiam, certissimum est, similem ordinationem ei in toto genere humano placere. Imò sæpè alias dicitur vox diuina ordinem in imperijs esse opus Dei, & Deo iuuante conseruari, vt Daniel inquit: Deus transfert & stabilit regna, Item in cap: 8. Proverbij dicit sapientia Dei: Per me reges regnant. Item, Libra & pondus iudicia Domini sunt, & omnes lapides & pondus iudicia Domini sunt, & omnes lapides sacculi, id est, Deus est autor, conseruator, defensor totius ordinis Politici. Et clarissima concio est Pauli ad omnes gentes, quæ testatur diuinitus approbari et iuuari politice gubernatione, Roma. 13. vbi addit & hanc
sen.

sententiam: Neesse est obedire non solum propter iram, sed propter conscientiam.

Cum igitur sciamus expressa voce Dei institutam & confirmatam esse potestatem politicam, firmissimè statuamus, Deo debitum esse officium obedientiam, quæ legitima potestati præstatur. Multi frigidius loquuti sunt, qui dixerunt, politicam potestatem ideo valere, quia intellectus legis & ordinis in homine, sit opus Dei. Hoc est verum est, tamen magis conspicitur autoritas gubernationum, cum ostenditur expressa institutio & confirmatio potestatis. Ac vocem suam Deus ideo addit, ut utrosq; erudiret de sua voluntate, gubernatores & subditos.

De discrimine edictorum civilium, & traditionum, quæ condita sunt humana autoritate in Ecclesia.

Differunt latrocinium & magistratus. Nec rectè dixit Pirata ad Alexandrum: Cur tibi licet in terra prædari, mihi non licet in mari? Nam latrocinium est destructio ordinis diuini, & dissipat communem societatem, nec peccat, qui latroni poscenti pecuniam non dat, sed elabitur, aut reprimat eum, cum potest. E contra verò ordinarium, & legitimum imperium est conseruatio ordinis diuini, & fouet communem societatem, et